

233286

Q. D. B. V.  
AVSPICIIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI  
DN. FRIDERICI AVGVSTI  
DE  
CHARACTERIBVS  
TEMPORVM  
ANNO CVIVIS CERTVM  
LOCVM

IN PERIODO IVLIANA  
VINDICANTIBVS  
PVBLICE DISPVTABVNT  
P R A E S E S

M. DAVID CHRISTIANVS  
LANGIVS

ET  
RESPONDENS  
ANDREAS BÜHNERVS  
VVITTEBERGENSIS

AD DIEM XVIII. APRILIS c1o 10CC XVI.

VVITTEBERGAE  
EX OFFICINA VIDVAE GERDESIANAЕ



[1716]

A B Allgemeine

ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS  
**PRORECTORI**  
MAGNIFICO  
**PATRIBVS**  
CONSCRIPTIS  
VIRIS  
SVMME REVERENDIS  
CONSULTISSIMIS EXPERIENTISSIMIS  
AMPLISSIMIS  
DOCTRINA SINGVLARI  
ET MERITORVM MAGNITVDINE  
EXCELLENTISSIMIS  
CELEBERRIMISQVE  
PATRONIS PRAECEPTORIBVS  
ET PROMOTORIBVS SVIS  
BENIGNISSIMIS  
OMNI PIETATE ET OBSEQVIO PER AETATEM  
SVMME COLENDIS  
PVBLICVM HOC SPECIMEN  
RELIGIOSE CONSECRAT  
PRAESES  
M. DAV. CHRIST. LANGIVS

DE  
CHARACTERIBVS TEMPORVM  
ANNO CVIVIS CERTVM LOCVM  
IN PERIODO IVLIANA  
VINDICANTIBVS.

---

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

**T**radita in superiori Dissertatione metho-  
do, annorum aerae Christianae,  
vel etiam Periodi Julianae, caracte-  
res, cyclos videlicet, ferias, luna-  
tiones, & quae sunt reliqua, investi-  
gandi; non incongruum fore, duxi-  
mus, si peculiaribus Problematibus  
edoceremus, quomodo vicissim ex  
notis ejusmodi annus certus colli-  
gendus sit. Utrumque enim in lectione Scriptorum Chrono-  
logicorum pernecessarium est nosse, num debita tempo-  
ribus Symbola auctores tribuerint, an, iis bene se habenti-  
bus, annos recte numeraverint. Hinc non immerito de  
Periodo Juliana B. AEGID. STRAVCHIVS, in Bre-  
viario Chronol. Parte Gen. L. III, c. V. Q. XII. praedicat,  
summam hujus temporum systematis commoditatem esse,  
quod non tantum anno cuius characteres assignari, sed &  
e datis characteribus annus erui possit. Idem evincunt va-  
ria a temporum magistris, pro scopo laudato obtinendo,  
commendata consilia. Nobis omnium commodissima visa  
est Tabula, quam in nostro Fastorum Indice quinto loco

adduximus, cujusque constructionis rationem in Differtatione priori §. LXXIV, jamjam attulimus. Non autem semper omnes, vel duos cyclos conjunctim, sed unicum saltem, notatos legimus; quemadmodum *Marcellino Comiti* solenne est, qui tempora Consulum Romanorum Indictionum numeris distinxit, ut exempla a SCALIGERO p. 564. Operis de Emend. Temp. Ed. Paris. laudata abunde testantur: ideo usus Tabulae I, II, & VI etiam in hoc argumento detegendus est. Interdum Historici diem mensis feria, vel etiam certa Lunae phasi, quorsum in primis Eclipses pertinent, definiunt: unde fructu suo Probl. III. & IV. non carebunt. Denique etiam tentabimus, quantum memoratae notae, dijudicandis aliarum Epocharum annis inserviant; quod in praesenti exemplo Olympiadum & Aerae Nabonassareae declarasse sufficiat.

## PROBLEMA I.

Datis omnibus tribus, vel saltem duobus Cyclis, investigare annum P. J.

## RESOLUTIO

Cyclus Solis subtrahatur & a C. Lunae & a C. Ind. additis prius, si opus est, ad illum 19. vel 38, ad hunc 15, vel 30. Residuum Cycli L. vel, si nullus fuerit, numerus 19, in Tab. V. sub lit. β. quaesitus, junctum sub lit. α exhibet numerum primum addendum Cyclo Solis. Residuum Cycli Ind. vel, si nullus fuerit, numerus 15, e regione prioris inventi numeri quaesitus, dat in fronte alterum numerum Cyclo Solis addendum. Summa conficit annum P. J. Egr. Anno mundi conditi Scaliger, & qui eum sequuntur Chronologi addunt Cyclos Lunae,

Lunae,	Indict.	Solis
4	14	8
<u>19 add.</u>	<u>8 subtr.</u>	224, num. sub. lit. α
23	6 resid.	<u>532, num. in fronte</u>
<u>8 subtr.</u>		764 annus P. J.
35 resid.		

Si

Si vero Cyclus Indict. ab Auctore quodam omiffus fuerit, numerus in fronte affumendus est, quem anno quaesito non ultra 532 minorem esse, pro comperto habemus. Egr. anno primo Olympiadum Iphitearum, de quo supponimus notum esse, quod annum P. J. 3724 non antecedit, assignantur Cycli S. 18, L. 5. Post subtractionem rite peractam residuum erit 6. penes quod sub lit.  $\alpha$ . habetur num. 196. Jam si numeri 3724, 18, & 196, in unam summam colligantur, prodibit annus P. J. 3938. Epocha Nabonassarea, cui tribuuntur Cycli S. 19. L. 15, non ultra 40. annos recentior est Olympiastica. Ergo in fronte idem numerus 3724. tenendus: residuus post subtractionem Cycli S. numerus Cycli L. 15. detegit sub lit.  $\alpha$  num. 224. Inde ex additione num. 3724, 19, & 224. emergit annus P. J. 3967.

## DEMONSTRATIO.

Subtractione enim ejusmodi eruuntur Cycli L. & Ind. cum Cyclo S. 28. proxime praeterito, decurrentes. Iam vero Cyclum Solis 28 habent omnes anni in Tab. V. tam sub lit.  $\alpha$  quam in fronte, & qui ex utrisque componuntur; ex quibus Cycli Lunae & Indictionis respondententes certum annum determinant, ut in priori Diss. §. LXXIV demonstratum fuit. Ergo si ad inventum per residua Cyclor. L. & Ind. annum addas Cyclum Solis datum, acquiritur desideratus P. J. annus. Q. E. D.

*Monendus hic Lector est, ut in citata Tabula sub lit.  $\alpha$  pro 86. legat 95. & pro 54. legat. 84.*

## PROBLEMA II.

Cognito unico Cyclo, determinare annum certum, annis dubiis, dato C. Solis, non ultra 28, dato C. L. non ultra 19, dato C. Ind. non ultra 15. a se invicem distantibus.

## RESOL. ET DEM.

Quia quivis annus in Periodo ejusmodi peculiarem suum Cyclum habet, inde saltem evolvendi Cycli dubi-

orum annorum: tum innotescet, quinam annus datum sibi vindicet. Egr. In Codice Chronici Prosperi Aquitani a P. Pitbœo edito, e regione anni Chr. 433. legitur, Hlodium in Francia regnasse. Quod tempus in altero ejusdem Chronico Consulari refertur ad Consulatum Theodosii XI. & Valentiniani, adeoque, teste Marcellino Comite, ad Ind. VIII. Quæritur, num annus in priori Chronico recte numeratus sit. In Tabula VI. communis angulus numerorum 4. & 33, suppeditat Cycl. Ind. I. Sed debet esse VIII. Ergo annus iste non est 433, sed 425, quia numerus 8. in communi angulo numerorum 4. & 25. deprehenditur.

Relatum quid legatur, Cyclo Solis XIX, incertum, an gestum hoc fuerit anno Chr. 1010, an 1018, an 1025. Si consulatur Tab. II. constabit, solum annum 1018. Cyclo Solis XIX. definiri.

#### SCHOLION.

Problema hoc & antecedens nequaquam ad Cyclos Solis & Lunæ Græcorum, ante Dionysii Exigui tempora usitatos, extendendum est. Longe enim aliter olim in Oriente memorati Cycli numerati fuerunt.

#### PROBLEMA III.

Dato die mensis Solaris una cum phasi lunæ, invenire annum.

#### RESOLVTIO.

Dies mensis, si sit Julianus, convertatur prius in Gregorianum, per §. LXXX, prioris Dissertationis; alias mutatione nulla opus est: deinde notetur in fastis numerus Romanus eidem adscriptus; ab hoc subtrahatur unitas si novilunium cognitum fuerit, ut habeantur Epactæ quaesiti anni; vel si plenilunium character sit, notetur, quinam numerus vulgaris in intervallo Teminorum Paschalium a d. 21. Martii usque 18. Apr. Romano illi adjunctus sit, ille enim Epactas illius anni indicabit. His factis, indagandæ sunt Epactæ annorum dubiorum, qui tamen non ultra 8. annos a se invicem distare debent. Sic annus, qui vel easdem, vel proximas  
habet

habet, pro certo amplectendus est. Egr. *Vetustissima persuasio* est, Christum passum esse d. 25. Martii, st. Jul. ideo enim Ecclesiae Gallicanae Pascha illo die, quaecunque feria fuerit, Martino Dumienfi & Beda testibus, constanter celebrabant, conf. J. SCALIGER, de Emend. Temp. p. 151. *VVILH. LANGIVS* vero demonstrat in L. II, de Annis Christi c. VII. Christum ante annum 31. & post 35. aerae Christ. passum non esse: quaeritur ergo, quisnam annus ex isto intervallo, secundum hypothese[m] memoratam, definiendus sit. Diei 25. Martii st. Jul. respondet d. 23. M. Greg. per Tab. Aequat. in qua e regione Seculi I, ab anno P. J. 4713. incipientis, differentia stylor. 2. notata est. Huic diei assignatus numerus Romanus VIII. Tempore, quo Christus passus fuit, luna plena, sive in 14. phasi circiter extitit; Pascha enim Judaeorum, plenilunio celebrandum, coincidit. Ergo Epactae sunt 21, quae etiam eidem diei praeter numerum Rom. VIII. adscriptae sunt. His Epactis proximas 20, ex dato intervallo, sibi vindicat annus Chr. 31. Ille enim Cyclo Lunae 31. gaudet, sub quo in Tab. IV. e regione P, literae Aequationis illius Seculi, extant Epactae 20. Ergo, si verum esset, quod Christus d. 25. Martii st. V. crucifixus fuerit, non alius annus congrueret, quam XXXI. At, qui supponunt Christum passum feria sexta, in anno hoc consentire nequeunt; siquidem Cyclo Solis est 12, sub quo in Fastis conspicitur ipse 25. Martii, tanquam feria prima. Interim tamen Petavius assentitur, qui annum Passionis Servatoris diserte conjicit in annum P. J. 4744, qui in aera Christ. est. 31. non tamen, in diem 25, sed potius 23. Martii, st. Jul. feriam sextam, plenilunium (quod ex hypothese Gregor. Calendarii d. 24. Mart. st. Greg. sive d. 26. M. styli Jul. contigit, sicut etiam calculus Wilb. Langii evincit) tribus diebus antecedentem; ex Cyclo enim quodam Judaico probare anmititur, plenilunia civilia Judaica tribus diebus vera anticipasse; quod tamen merito apud W. Langium nullam fidem invenit.

## DEMONSTRATIO.

Si enim nostra per Epactas inquirendi Lunae phases methodus, priori Diss. §. LXXXVI commemorata, semper  
cum

cum vero Calculo Astronomico congrueret: ex 19. annis dubiis certus determinari posset. Vel si certi essemus, nunquam ultra unum diem discrepantiam oriri: verum annum ex incertis 11. dijudicare valeremus. Sed quia verendum, ne quandoque duobus diebus fallamur; inde saltem inter octo annos examen instituendum est, quippe intra quod spatium neque eadem, neque una vel duabus unitatibus differentes Epactae recurrunt.

#### PROBLEMA IV.

Dato die mensis & feria, eruere annum.

#### RESOLVTIO ET DEM.

Dies mensis Jul. quaeratur ipse, absque praevia conversione styli in Gregorianum, in Fastis nostris, & si feria prima fuerit, notentur Cycli in fronte laterculi; si vero alia fuerit, laterculum feriarum primarum prius inquirendum est. Deinde per Tabulam II. investigentur Cycli Solis annorum dubiorum, qui tamen non ultra 5. unitates a se invicem distare debent; & annus qui uno ex notatis cyclis praeditus est, erit desideratus. *Egr. Dissident in vicem Chronologi de anno captae Constantinopoleos, num in annum 1452, an vero 1453. inciderit. Pro certo tamen habetur dies 29. Maji, quod feria 3. fuerit. Ergo hoc ipso annus 1453. definitus est. In Fastis enim dies datus habetur in laterculo sexto, Laterculum igitur feriarum primarum est quartum, cui praefixi sunt Cycli Solis 6, 12 23. in anno communi, & 17. in bisextili, Ex quibus num. 6. soli anno 1453. competit, per Tabulam II. Ex S. Scriptura, speciatim, Marci XV. 42. Job. XIX, 31, constat, Christum crucifixum feria 6; dies enim passionis diserte dicitur Πρὸς ἄββατον, quod etiam multo plures aliae rationes confirmant. Porro ex ratione anni Judaici colligitur, plenilunium tum temporis, aut proximam plenilunio phasin, caelo conspicuam fuisse. Atqui vero Epactae Gregorianae ita comparatae sunt, ut, si 13. iis demantur residuo respondens numerus Romanus in Fastis ostendat aut ipsum plenilunium, aut proximam phasin. Ergo dispi-*

dispicendum est, quinam annus per Epactas Gregorianas plenilunium vel in ipsam feriam sextam, vel proximam conjiciat, qui est annus Chr. 33. cyclo Lunae 15 praeditus, sub quo in Tab. IV. e regione literae P adsunt Epactae 12, quae plenilunium Paschale per §. LXXXV. super. Diss. referunt ad d. 1. April. styli Gregor, qui respondet d. 3. April. styli Jul. & inter ferias sextas illius anni numerandus est. Cyclus enim Solis est 14, sub quo in Fastis cernitur 29. Martii, tanquam feria prima hebdomadis, in qua ipse d. 3. April. est feria sexta. Atque hunc annum pro vero etiam amplectuntur SCALIGER, CALVISIVS & LANGIVS quanquam primus olim aliam sententiam amplexus fuerit, & tertius in feria dissentiat. Conf. SCAL. de Em. T. p. 531. seqq. CALV. Isag. p. 239. seqq. LANG. de annis Ch. p. 415.

## PROBLEMA V.

Dato die mensis & Festo mobili, definire annum.

## RESOL. ET DEM.

Si dies Dominica suppedita fuerit, saltem attendendum per praecedens Probl. quinam annus ex dubiis, datum mensis diem inter ferias primas referat. Si vero expressum saltem fuerit, diem notatum ad hujus vel illius Dominicae hebdomadem pertinuisse, nullius feriae mentione facta, & saltem tres anni contigui ambigantur; ratio Festorum mobilium in dubiis illis annis per Probl. ultim. super. Diss. evolvenda est, & ille annus pro certo assumendus, qui diem datum in datae Dominicae hebdomadem rejicit. Egr. Controvertitur inter Chronologos, num Constantinus M. ad Imperium pervenerit, anno Chr. 306, an vero 308. Mortus laudatus Imperator est d. 22. Maji, hebdomade Pentecostali, anno aetatis 31 qui secundum priorem sententiam responderet a Chr. 337. secundum autem posteriorem 339. quo tempore annus Solaris Julianus & Termini Paschales Juliani obtinuerunt. His observatis, si ratio Festorum mobilium in anno 337, examinetur, patebit, d. 22. Maji hebdomadi Pentecostali, speciatim feriae ejusdem primae, competere. Cyclus enim Lunae est 15. cui in Cyclo Epactarum Julianarum tribuuntur Epactae 12, quae in Fastis produunt Term.

*Pasch. d. 1. Apr. Cyclus Solis 10. Ergo Festum Paschatos convenit  
3. Apr. e cujus regione autem cum nomen Palmarum legatur; nomina  
Dominicarum & Festorum una linea sursum protrusa censenda sunt,  
qua ratione Pentecoste coincidit cum d. 22. Maji.*

## PROBLEMA VI.

Dato anno Olympiatico Iphiteo invenire Cyclos  
respondentes

## RESOLVTIO ET DEM.

Quia Olympiadum Epocha connexa est cum anno P. J. 3938. qui cyclis L. 5. S. 18, Ind. 8. definitur, communis autem angulus numeri 0 & 1. in Tab. I. sistat 2, in Tab. II. 10. in Tab. VI. 4. facile colligitur, annis Olympiadicis addi debere pro C. L. 3. S. 8. Ind. 4. Differunt autem Olympias & annus Olympiadicus. Illa enim vocatur quadriennium, quo elapso olim apud Graecos solemnitates ludorum Olympicorum in orbem redibant; hic vero quarta hujus lustri pars est, continua serie ab ipsa Epocha directe numeratus. Hinc, si datus fuerit annus alicujus Olympiados, debent absolutae Olympiades per numerum quaternarium multiplicari, & producto anni Olympiadis currentis addi, quo facto innotescet annus Olympiadicus. Egr. Sit annus III. Olymp. CXCIV. Multiplicatis 193. per 4. proveniant 772. quibus si addantur 3. adest annus Olympiadicus, s. expansus 775. Adjectis porro 3, in Tab. I. communis angulus numerorum 7 & 78 in conspectum producet aureum numerum 19. Accedente num. 8. communis ang. num. 7 & 83. in Tab. II. ostendet Cycl. S. 8. augmento facto per 4. comm. ang. num. 7. & 79. aperiet Cyclum Ind. 2.

## SCHOLION

Notandum vero probe est, quod cum anni Olymp. aestate exordium capiant, Cycli inventi saltem quoad priorem semissem anno dato respondeant, quoad alteram vero omnes unitate augeri debeant.

PRO-

## PROBLEMA VII.

Annos Olympiadicos convertete in annos P. J. & contra.

## RESOLVTIO ET DEM.

Quoniam primus annus Olymp. est 3938. in P. J. differentia existit 3937. Ergo si dato anno Olymp. tantum addatur, emergit annus P. J. si vero a dato anno P. J. tantum detrahatur, remanet annus Olymp. *Egr. Anno 775. Olymp. si addantur 3937. habetur annus P. J. 4712. in cuius aestate Olympiadicus cepit.* Vicissim si a dato hoc anno P. J. 4712. demas 3937, & residuum 772, divides per 4. quotus dabit 193. Olympiades completas, atque sic residuus erit 3. annus Olymp. XCIV.

## SCHOLIION.

ANTONIUS PAGIVS in Tractatu nuper a Dn. D. Schurzfleischio edito de Periodo Graeco Romana p. 110. seqq. notat, Epocham Olympiadum ab Eusebio & Hieronymo uno, a Julio Africano & Georgio Syncello duobus, annis antiquiorem supponi, atque sic ex sententia illorum differentia 3936, ex sententia horum diff. 3935. tenenda est.

## PROBLEMA VIII.

Investigare, quonam die mensis anni Jul. annus Olymp. datus incipiat.

## RESOLVTIO ET DEM.

Non idem annis Olymp. initium apud omnes Graeciae populos fuit. Communiter tamen a mense Hecatombaeone auspicabantur, cuius primus dies nunquam *κέντηρον Σεπιδόν*, sive quadrantem aestivum, antecessisse, plurimi Chronologi consentiunt. Existimat autem Scaliger, & qui eum sequuntur, primis Olympiadum Seculis Solstitium aestivum putatum esse connexum cum d. 8. Jul. st. J. Proxime post hunc diem Elidenses feruntur primum quemvis Tetraeteridum Olympicarum annum ordinarie a novilunio

exorſi, ſecundum a nona phaſi, tertium a 17, denique quartum a 23. Ergo eligantur in Tab. IV. Epactae pro primis annis e regione G. Ex Tabula enim Aequationis patet initio Olympiadum Cyclum Epactarum Gregorianum valere, qui a ferie, litera N. notata, inclusive 5. lineis abeſt, & cui litera F praefixa; ſed repetat hic lector benevolus ex ſuper. Diſſ. §. LVI. quae de Epactis Gregorianis monuimus, quod nimirum non ipſa novilunia ſed primam aetatem indicent ordinarie & quod ideo, ſi ipſa novilunia detegere debeant, unitate augendi ſint, per §. XXXVI. Quamobrem tuto Cyclus Epactarum G. apprehendi poteſt. Ab hoc exclusive, nonus e reg. ſ. ſervetur pro annis ſecundis Olymp. decimus ſeptimus e reg. i. pro tertiiſ & tandem vigefimus tertius e regione literae c. pro quartis. Anni dati eruatur aureus numerus, ſub quo in convenienti ipſi Cyclo Epactarum, habetur numerus oſtendens in Faſtis proxime poſt 8. Jul. diem menſis, quo ille annus exordium capit. *Egr. Alexander M. natus eſt anno 1. Olymp. CVI. ſive anno Olympiatico 421. cujus Cyclus Lunae per Probl. VI. eſt 7. ſub quo in Tab. IV. e regione literae G. (eſt enim annus primus Tetraeteridis Olymp.) extant Epactae 10. His Epactis quaere reſpondentem numerum Romanum in Faſtis proxime poſt 8. Jul. occurrentem, & reperies eum d. 17. Jul. aſſignatum, qui eo anno, ut ex Cyclo Solis colligitur, inter ferias quartas numerandus venit. Sit datus annus 2. Olymp. XC. ſive expaſus 358. cujus aureus num. 1. Epactae e regione ſ. 25, utpote ſecundi in Tetraeteride: Ergo initium ejuſ eſt 1. Aug. Addatur exemplum de anno tertio Olymp. XLVII, ſive anno ſingulari 187, quo Nebucadnezar templum Hieroſolymitanum deſtruxit. Cyclus Lunae 1. Epactae e regione 17. dies menſis, cui Epactae ad ſcriptae eſt d. 10. Jul. Ulteriori illuſtrationi inſerviat annus quartus Olymp. XCIV, ſive annus expaſus 376. Cycl. L. 19, Epactae e regione c. 29. dies menſis 28. Jul.*

II. Annus vero Atticus primis temporibus creditur inchoatus ab ipſa decima quarta phaſi ſeu plenilunio, ſi  
primus

primus in Tetraeteride fuerit; a 22 phasi, si secundus, ab ultima phasi, si tertius, a sexta phasi, si quartus. Ideo ob primum respiciendae sunt Epactae e regione m. ob secundum e regione d, ob tertium e reg. H. ob quartum e reg. A. Sic, ut in memoratis exemplis maneamus, A. Ol. 421. gaudens Cyclo L. 7. habet e reg. lit. m. Epactas 26 competentes d. 31. Jul. Annus 358. sub suo Cyclo Lunae 1 vindicat sibi Epactas e reg. lit. d. 12. convenientes d. 15 Jul. Annus 187, aureo numero 1. praeditus postulat e reg. lit. H. Epactas 5. atque sic initium diei 22. Jul. congruentem. Anno tandem 376, Cyclo lunae 19 notato debentur e regione lit. A. Epactae 16, diei 11. Jul. assignatae

III. Sequioribus temporibus, recepta Enneadekaeteride Metonis, quod tempus refertur ad ann. P. J. 4282, demonstrante FRANCKENBERGERO, Compend. Chronol. lit. kk 2. anni apud Athenienses omnes atque singuli constanter inceperunt a novilunio proximo post 27 Junii, ubi Solstitium aestivum tum temporis observatum supponitur. Respiciendum ergo est ad solum Cyclum, litera H a reliquis distinctum. Tempore enim illo, ut Tab. AEquationis e regione anni P. J. 4213 testatur, Cyclos Epactarum Gregor. in anno Jul. est quartus a serie literae N. inclusive, ille vero qui ostendere debet ipsa novilunia una serie altius existit, ut ex supra monitis jam jam patescit. Sufficiat unicum exemplum anni Olympiadici 403. Cyclo Lunae 8 praediti, sub quo e regione lit. H. existunt Epactae 22, assignatae d. 5. Jul.

IV. Tandem celebris est Periodus Calippica, quae exordium sumit a. P. J. 4384. ideoque Epactas e regione lit. M. requirit,  $\kappa\acute{\epsilon}\nu\tau\epsilon\sigma\upsilon\nu$  vero  $\text{Σεπινόν}$  Metonis retinet.

## SCHOLION

Methodus haec, si cum Tabulis Scaligeri & Calvisii, quas FRANCKENBERGERVS in Compend. Chronol. conjunctim exhibet, comparetur, deprehendes, ubi ab

unius hypothefi recedit, cum alterius calculo confentire. Sciendum enim eft, quod laudati Chronologi in nonnullis annis, quamvis uno faltem die, diffentiant.

PROBLEMA IX.

Colligere diem mensis anni Juliani, quo annus aerae Nabonaffereae datus auspiciam capit.

RESOL. ET DEMONSTR.

Quoniam annus Nabonaffareus rotunde 365 diebus abfolvitur, nec appendicem habet ſex horarum, ut annus Julianus; initium ejus ſingulis quadrienniis uno die retrocedit, ita, ut ſi adhuc menſibus decem poſterioribus inhaereat, quovis anno Jul. intercalari, at, ſi Januarium & Februarium occupet, quovis proximo poſt biſſextilem, mutationem illam ſubeat. Primus vero hujus aerae annus incepiſſe ſupponitur d. 26 Febr. anni in luſtro Juliano ſecundi. Ergo jam annus quartus, qui reſpondet anno Jul. proximo poſt intercalarem, initium ſuum uno die antevertit, idque in d. 25 Febr. conſtituit; atque ſic abſolutis 25 luſtris, ſive 100 annis exordium illud pervenit ad ultimum diem Januarii, anno nempe 104. abſolutis denuo 31 tetraeteridibus, annus 228 incipit ultimo Decembris ejusdem anni Jul. biſſextilis, cum quo annus Nab. proxime praeterit. 227 idem exordium, die nimirum 1. Jan. ſumpſerat. Hinc non amplius in annis biſſextili proximis, ſed iſtis biſſextilibus caput anni Nab. retrogreditur, & ad novum menſem accedit, interdum poſt 30, interdum poſt 31 quadriennia, prout menſis, cui inhaeſit vel 30 vel 31 dierum fuerit; uſque dum, ſi ad Januar. & Febr. redeat, denuo non iſtis biſſextilibus, ſed biſſextili proximis, priſtinum locum relinquat. Quamobrem peculiaris Tabula apponenda erat inveniendis initiis annorum Nabonaff. inſerviens.

TABV-

TABVLA			Ufus illius hic est: Si datus annus ipse, vel non ultra 3. unitates minor, in memorata Tabula expressus sit; habetur e regione dies mensis, qui datum annum auspiciatur. <i>Egr. sit datus annus 716, qui ipse in Tabula adest; e regione illius cernitur d. 31. Aug. ab eodem die exordium ducunt etiam anni 717, 718, 719. quippe quibus ille in Tabula non ultra 3. unitates minor est. Verum si neque ipse, neque memorata, sed majori, distantia minor, in Tabula reperitur, subtrahendus annus ille proxime minor ab anno dato, residuus vero dividendus per 4. quo facto quotus denuo subductus a die mensis e regione anni in Tabula extantis, relinquet diem mensis quaesitum. <i>Exemplo sit annus 950. proxime minor in Tabula existit annus 840. ut adeo utriusque differentia sit 110, quae divisa per 4. dat quotum 27. qui subductus a d. 31. Jul. e regione anni 840. in Tabula notati, relinquit diem 4. Jul. quo die annus Nabon. 950. coepit.</i></i>
Dies Mens.	Anni Nabon.		
26	Febr.	1.	
25	Febr.	4.	
31	Jan.	104.	
31	Dec.	228. 1689.	
30	Nov.	352. 1813.	
31	Oct.	472. 1933.	
30	Sept.	596. 2057.	
31	Aug.	716. 2177.	
31	Jul.	840. 2301.	
30	Jun.	964. 2425.	
31	Maji.	1084. 2545.	
30	April.	1208. 2669.	
31	Mart.	1328. 2789.	
29	Febr.	1452. 2913.	
28	Febr.	1453. 2914.	
31	Jan.	1565. 3026.	

## SCHOLION

Problema hoc sequentibus praemittendum erat, quia alias neque de Cyclis, neque de annis P. J. respondentibus iudicium ferri potest.

## PROBLEMA X.

Annorum Nabonassaris inquirere characteres.

## RESOLVTIO ET DEM.

Quandoquidem annus primus huius aerae supponitur incepisse cyclis, Sol. 19, L. 15. Ind. 7. cum in Tabulis, quae inue-

inveniendis Cyclis inferviunt, communis angulus num. 0 & 1. referat Cycl. S. 10, L. 2, Ind. 4. innotescit, pro inveniendō Cyclo Solis, addi debere 9, pro C. L. 13. pro C. Ind. 3. Quia vero absolutis 365 quadrienniis, five annis 1460, uni eidemque anno Jul. bissext. duo anni Nabonass. respondent. incipiente altero a kal. Jan. altero ab ultimo die Decembr. eadem differentia Cyclorum non manet, sed si annus datus excedat num. 227. non tamen 1688, quantitates memoratae unitate imminuendae sunt, si vero excedat annum 1688 non tamen 3149, eadem summae duabus unitatibus multandae sunt. *Egr. sit annus Nabon. 154. quia non excedit num. 227. addantur pro Cyclo S. 9, C. L. 13. C. Ind. 4. In communi angulo numerorum 1 & 63 Tabula II. sistit Cyclum S. 4. in comm. ang. numm. 1 & 67. Tab. I. C. L. 16. in comm. ang. n. 1 & 57. Tab. VI. C. Ind. 10. Sed dato anno Aerae Nab. 749, quoniam excedit 227, non vero 1688. addi debent pro C. S. 8. C. L. 12. Ind. 2, Sic angulus comm. numerorum 757, prodit in Tab. II Cycl. S. 10. angul. num. 7 & 61 in Tab. I. Cycl. L. 2. ang. num. 7 & 51 in Tab. VI C. Ind. 4. qui cycli omnes respondent anno 1. aerae Christ. Porro quaerendi sint characteres anni Aerae Nab. 2465, excedentis num. 1688. Addendi saltem 7, 11, 1, & consultis Tabulis deprehenduntur Cycli, Solis 17, L. 7, Ind. 9, quibus gaudet praesens annus Christi 1716.*

## PROBLEMA X.

Annos Nobanassareos convertere in annos Periodi Jul. & contra.

## RESOL. ET DEM.

Ex eo, quod primus annus aerae Nab. supponitur esse 3967 in Periodo Jul. patet, quod si annus Nab. non excedat 227, differentia tenenda sit, 3966, si vero denominatum numerum excedat, non tamen 1688, differentia maneat 3965, denique si excedat 1688, non tamen 3149, differentia notari debeat 3964. *Sic annus Nab. 154. est in P. J. 4120 annus Nab. 749 est in P. J. 4714, annus Nab. 2465. est in P. J. 6429. Viceversa si ab anno P. J. non excedente num. 4193 demas 3966, ab anno P. J. non exced. 5653 detrahas 3965, ab A. P. J. non exc. 7113 subducas 3964 emerget annus Nab. Sic annus P. J. 4028 est in aera Nab. 62. A. P. I. 4819 in aera Nab, 854. A. P. J. 6128 in aera Nab. 2164.*